

quirit absolutam voluntatem talis actus, quam Deus non habet.

18. Neque contra hoc obstat quod Deus ad tales actus voluntarie ac realiter concurrat in tempore, quod facere non potest sine æterna voluntate talium actuum. Dico enim non esse necessarium actum quo Deus velit absolute aut præfinit ali quo modo talem actum, sed sufficere voluntatem concurrenti cum libero arbitrio, et permittendi ut ipsum etiam operetur, si velit; ex vi illius voluntatis, vel ipsamet Dei voluntas, vel potentia executiva ejus influit in tempore cum causa secunda ipsa cooperante, ut in eodem lib. 3 explicatum est. Unde quod quidam aiunt, nihil Deum ad extra agere, nisi per voluntatem prædefiniemem, est quidem verum de effectibus quos Deus se solo producit; de effectibus autem quos cum causis secundis facit, solum generaliter influendo, non est necessarium, neque ulla ratione fundatum, præsertim si intelligatur de voluntate absolute præfinitæ effectum ipsum; satis enim est quod præcedat voluntas concurrenti modo dicto, et sub tacita conditione, si liberum arbitrium cooperatum fuerit. Illa autem voluntas, licet non sit prædefinitio actus, potest aliquo modo dici prædefinitiva ipsius concursus, non simpliciter, sed quantum est ex parte Dei, seu potest dici prædefinitiva quoad offerendum concursum causæ secundæ, et applicandam potentiam executivam Dei ad cooperandum voluntati creatæ, si per illam non desit. Sicut etiam voluntas permissiva Dei potest dici prædefinitio quædam non effectus permissi, sed ipsius permissionis. Nam ex vi illius voluntatis prædefinit Deus non impedire actum, et eadem ratione præfinit paratum esse ex se ad efficiendum illum.

19. Neque etiam hinc sequitur Dei providentiam circa hos actus esse vel confusam, vel alio modo imperfectam. Non quidem confusam, ut in superioribus etiam dixi, quia illa voluntas concurrenti, licet prædictam conditionem includat, determinatur ex decreto Dei ad talem in specie, et in individuo, non tamen ad unum tantum, sed ad plures sub disjunctione, quantum indifferentia liberi arbitrii postulat; ad omnes vero sub eadem conditione et dependentia a libera cooperatione ejusdem liberi arbitrii. Sicut permissio actus mali, etiam ut mali, licet non sit prædefinitio actus, vel malitiæ, nihilominus non est confusa, sed distincta et particularis; permittit enim Deus talem speciem peccati, et talem individuum ma-

litiam, quæ hic et nunc tali actione libera resultat; ergo ex hac parte nulla est confusio in providentia. Neque etiam ex alio capite est aliqua imperfectio; possumus enim distinguere providentiæ curam, seu dispositionem, in antecedentem ad effectum ut futurum, et subsequentem: omnibus his modis invenietur perfecta circa actus liberos non bonos sine præfinitione. Nam antecedens providentia circa tales actus, optima et perfectissima, est permissiva tantum, quæ includit imprimis quod Deus det voluntati vires ad libere volendum, deinde quod illi offerat concursum ad tales vel tales actus quos permittit, denique quod statuat non impedire talem actum, etiamsi præsciat voluntatem male operaturam, si ita operari sinatur. Hæc enim sufficiunt ad providendum causæ secundæ, sicut oportet in ordine ad tales actus, et major efficacia vel major voluntas Dei circa tales effectus neque necessaria est, neque consentanea divinæ bonitati. Neque etiam perfectio providentiæ postulat ut æquali voluntate Deus omnia velit, sed potius requirit ut unumquodque velit prout suam majestatem et bonitatem decet.

20. Præterea, considerando ea quæ pertinent ad subsequentem providentiam talium actuum, postquam futuri prævidentur, perfectissima invenietur sine præfinitione ipsorum, quia, ut ostendi, in istis nec necessaria est, nec conveniens voluntas Dei absoluta, qua complaceat in his actibus sic prævisis. Imo, bonitati et sapientiæ Dei consentaneum est ut tales actus illi displiceant, et hic est primus actus hujus providentiæ, quam subsequentem appellamus, circa hujusmodi effectus; displicent Deo, et abominatur illos, seu odio eos habet, non quatenus ab ipso sunt, sed quatenus sunt a libero arbitrio. Et hinc sequitur ut illos ad condignam poenam ordinet, quod etiam ad hanc partem perfectæ providentiæ spectat. Possetque Deus, si vellet, ibi resistere sine imperfectione (ut ita dicam) privativa suæ providentiæ, quia non tenetur ad alios effectus illos actus ordinare, vel aliter de illis disponere. Nihilominus tamen ex bonitate sua providet sufficientem medicinam in remedium talium peccatorum, quamdiu hæc vita durat; sæpe etiam non tantum sufficientem, sed etiam efficacem modum illa tollendi procurat; aliquando etiam occasionem ex eis sumit alia majora bona faciendi; habet ergo de his actibus perfectissimam providentiam, etiamsi illos nullô modo præfinit.

21. Hinc vero fit quod ultimo loco posui-

mus, ut, licet Deus hos actus non præfinit, possit præfinit aliquos effectus eorum vel fructus, quos ipse illorum occasione operari vult; hoc probat exemplum passionis et mortis Domini, cum verbis Petri, Actor. 2, et aliorum fidelium, Actor. 4, et quæ late tradit Augustinus locis citatis. Et ratio est clara, quia, licet actus peccati sit malus, effectus potest esse bonus, quia non est a peccato ut peccatum est, sed ut actus est, et in ipso effectu separatur optime bonitas illius ab omni malitia, et ideo potest Deus absoluta voluntate illum effectum velle, et definito consilio ac decreto æterno illum definire, quod est præfinitur saltem secundum antecessorem æternitatis. Quod satis superque est ad dicta loca Scripturæ, maxime cum in eis non addatur particula *præ*, sed simplicia verba definiendi vel decernendi ponantur. Unde non est intelligendum hæc esse prædefinita in particulari ante permissionem et præscientiam peccatorum, id est, secundum eas condiciones quæ a peccato essentialiter pendent, vel secundum habitudinem ad talem causam, sic enim peccata etiam prædefiniuntur, quod negatum est fieri posse. Satis ergo est vel quod fuerint prædefinita ante prævisionem peccati, secundum aliquam rationem de se abstrahentem a tali causa, vel medio, vel quod post præscientiam peccati fuerint acceptata, et prædefinita ex æternitate, et ad alios effectus divinæ providentiæ ordinata. Et ita facile solvitur difficultas ultima tacta objectione capituli præcedentis. Nam licet Deus, ex infinita sua sapientia et potestate, uti possit voluntatibus male operantibus ad optimos effectus providentiæ suæ, tamen, pro sua infinita bonitate, id facit solum permittendo, non præfinitendo actus malos. Neque obstat quod permissio præcise spectata non sit sufficiens ad inferendum infallibiliter effectum, quia non est ita præcise spectanda, sed ut conjuncta præscientiæ. At vero, supposita conditionata scientia, tam infallibile est Deo, quid sit absolute futurum posita permissione, ac si esset prædefinitum. Solum est differentia, quod infallibilitas permissionis non est ab illa ut causa, sed a pura scientia, quam supponit; infallibilitas autem præfinitionis ita est a scientia, ut etiam sit a præfinitione, ut a causa. Item voluntas permittendi non includit intentionem vel voluntatem actus mali permissi; prædefinitio autem ejusdem actus includeret absolutam voluntatem et intentionem ejus. Ac denique voluntas permittendi non obligat (ut sic dicam) permittentem ad

procurandum effectum permissum, sed solum ad non impediendum; voluntas autem prædefiniens actum, antequam præsciatur absolute futurus, obligat de se ad procuranda media quibus talis intentio impleatur, quod Deo respectu malorum actuum repugnat.

22. *Assertio principalis, tertia.* — *Suppositio divi Thomæ.* — Tertio, principaliter assero Deum prædefinire aliquo modo omnes actus bonos, non tamen eodem seu æquali modo, sed quosdam principali quadam præfinitione, ut actus pietatis, et præcipue illos qui ad salutem prædestinatorum, vel ad alios fines similes supernaturalis providentiæ a Deo absolute intentos efficaciter ordinantur; alios minus principali præfinitione, nimirum eos qui vel sunt inferioris ordinis, vel qui non sunt ex primaria Dei intentione efficaciter intenti, sed tantum ex secundaria. Ad explicandam hanc assertionem, suppono doctrinam D. Thomæ, 1 part., quæst. 23, art. 7, in hac materia valde notandam; interrogando enim an numerus prædestinatorum sit certus, respondet esse certum, non solum secundum modum cognitionis, quomodo numerus arenas maris, vel etiam numerus reprobatorum, vel quorumcumque individuorum est etiam certus, sed etiam secundum modum ejusdem præfinitionis principalis. Ex hac ergo doctrina, colligo ex mente divi Thomæ Deum non eodem modo seu æqualiter præfinit omnia bona, etiam naturalia, universi, sed quædam per se primo et ex primaria intentione, alia secundo, quatenus ad alia primario præfinita necessaria sunt, ut ipse ibi late explicat. Sic ergo nos dicimus de actibus liberis bonis, omnes quidem esse præfinitos aliquo modo, quia omnes sunt a Deo ab æterno dispositi, et absolute voliti, et ordinati ad aliquod præmium vel alium finem; totum enim hoc pertinet ad perfectam providentiam actuum bonorum, et sufficit ad aliquod genus propriæ præfinitionis, ut supra ostendi; non tamen sunt omnes æqualiter præfiniti, sed quidam primario et principaliter, alii secundo et quasi per occasionem, ut ita dicam.

23. *Declaratur ista suppositio.* — Quod sic declaro, quia Deus ex primaria præfinitione decrevit numerum prædestinatorum, et gradum ac ordinem illorum, et ad consequendum illum finem, hunc mundum instituit, et talem ordinem rerum et causarum, ac providentiæ modum elegit, in quo (sub conditione utique, si ita institueretur), prævidit, unumquemque electorum per tot et tales actus,



tantumque eorum numerum fuisse infallibiliter ad eum gradum gloriæ perventurum, ad quem illum eligeret, et sic omnes illos actus prædefinivit. Quæ præfinitio, comparata ad electionem gloriæ, secundaria est, nihilominus tamen propriissima præfinitio. Et comparatione illorum actuum reproborum, potest dici etiam primaria, ut jam declaro. Nam Deus, prius ratione quam decerneret talem ordinem rerum, sub quo electi infallibiliter salvarentur, sub eadem conditione prævidit in eodem cursu et duratione rerum fuisse futuras alias generationes hominum, quos etiam voluit creare, et ad beatitudinem ordinare, et sufficientia mediæ eis providere. Et licet simul præviderit neminem eorum fuisse bene illis usurum perseveranter, ac proinde neque salvandum, nihilominus etiam præcognovit ad tempus multos fuisse bene operaturos et justificandos, licet non essent in justitia permansuri.

24. Sic ergo simpliciter et efficaciter voluit ut illi homines essent, et ut talia vel talia opera facerent, quod potuit velle etiam ante præscientiam absolutam talium actuum futurorum, ac proinde per propriam prædefinitionem, ut dicit antecessorem ad absolutam scientiam talium actuum, qui sunt præfiniti. Et nihilominus illa præfinitio secundaria et minus principalis dici potest, quia non est ex illo proposito principali salvandi tales homines, sed quasi per occasionem, quam ordo rerum, propter dictos præcipue dispositus, pro aliis offerebat. Sicut numerus etiam reproborum et omnium animarum certus est ex aliqua præfinitione divina, non tamen primaria, quia Deus per se non ita intendit numerum reproborum, sicut prædestinatorum, sed prævidit, si sub tali ordine rerum, et annorum, ac temporum constitueret prædestinatos, futurum fuisse ut aliorum non electorum hominum numerus tantus esset, et ideo consequenter illum præfinivit, et majorem vel minorem esse noluit. Ad hunc ergo modum potuit eorum actus præfinire, et credibile est ita fecisse, vel in omnibus bonis actibus, vel saltem in actibus gratiæ, et maxime in illis ad quos sunt necessaria auxilia efficacia, et sæpe majora et specialiora, quam ex generali cursu supernaturalis etiam providentiæ dari soleant. De actibus autem inferioribus, et præsertim de moralibus ordinis naturalis, licet id etiam sit probabile, et facile defendi possit, non est tamen ita necessarium, quia sufficit præfinitio æterna, quæ supponat præscientiam Dei

absolutam eorundem actuum, et includit absolutam Dei voluntatem, et acceptionem eorum, et ordinationem eorum ad aliquale præmium sui ordinis, vel ad alios fines divinæ providentiæ. Et ita est sufficienter declarata et obiter probata assertio. Qui autem majorem probationem desiderat, libros de Auxiliis consulat.

25. *Expeditur dicta objectio tertia, et sic totum opus concluditur.* — Atque hinc tandem facile expeditur tertia objectio, quæ sola superest ex positis in capite præcedenti; negamus enim per hanc doctrinam aliquid perfectioni divinæ providentiæ circa bonos actus derogari. Quod imprimis est manifestum de his quos ante absolutam scientiam Deus præfinivit, sive principali, sive secundo, quia non pertinet ad perfectionem providentiæ Dei omnia quæ facit æque principaliter intendere; imo, ad perfectum dominium et libertatem Dei pertinet ut pro suo arbitrio ad extra operetur, et ideo ex æqualibus bonis creatis potest unum velle, et non aliud, et a fortiori unum principaliter intendere aut prædefinire quam aliud. Hoc autem supposito, nullus alius defectus perfectionis in providentiæ talium actuum cogitari potest. At vero, etiamsi aliqui actus boni non sint ita prædefiniti, sed tantum post præscientiam, stabit tota perfectio necessaria divinæ providentiæ, ut patebit facile applicando quæ supra dixi de providentiæ antecedente et subsequente. Nam ad antecedentem spectat primo, quod Deus præbet vires sufficientes, tam ex parte liberi arbitrii, quam ex parte gratiæ, ad efficiendos tales actus. Secundo, quod ad illos offert concursus ex parte sua necessarium. Tertio, quod Deus, quantum in se est, intendit talem actum. Quarto, quod illum aut præcipit, aut consulit, vel saltem tanquam honestum proponit. Quinto, quod paratus est aliquod præmium propter illum conferre, vel etiam illud promittit, si homo non impediatur. Atque hæc prorsus videntur sufficere ad hanc partem providentiæ. Quod autem ultra hæc addatur prædefinitio antecedens, ubi Deus voluerit, potest pertinere ad quamdam supererogationem, ut sic dicam, non tamen ad absolutam perfectionem providentiæ. Imo esset nimia limitatio et coarctatio libertatis divinæ, si cogerebatur singulas actiones, etiam bonas, determinate præfinire; et ita non posset liberi arbitrii curam gerere, ut illi, etiam inter bonas actiones omnino electionem relinquendo, ad omnes et singulas, quantum est ex se, con-

cursum præbendo, provideat, præsciens semper per scientiam conditionatam quid operaturum sit.

26. Quoad subsequentem autem providentiam post præscientiam absolutam talis boni actus futuri, habet Deus absolutam voluntatem complacentiæ in illo; quamvis enim hæc voluntas non sit operativa talis actus, nihilominus ad perfectam providentiam spectat, tum quia prudentis gubernatoris est bene operantes laudare, et eorum facta approbare; tum etiam quia ex illo Dei beneplacito possunt aliqui actus, vel effectus providentiæ subsequi. Secundo, habet Deus voluntatem remunerandi tale opus. Tertio, ordinat illud ad alios fines, prout ad majorem suam gloriam, vel ad alios effectus providentiæ suæ judicat expedire. His ergo modis sufficientissime disponit Deus

de singulis actibus bonis in particulari, atque eos præfinit quantum et quomodo vult, juxta consilium voluntatis suæ. Et hoc etiam modo perfectissime utitur voluntatibus humanis tanquam supremus dominus; tum movendo illas quantum necessarium vel conveniens judicat; tum sinendo illas operari, simul cum illis cooperando; tum denique illis, sive hoc sive illo modo operantibus, ad alios fines providentiæ suæ utendo, ut eleganter Augustinus in locis citatis, et præsertim in Enchirid. exposuit. Igitur et perfectio providentiæ cum dicto modo prædefinitionis divinæ, et ipsa divina præfinitio cum efficaci gratia per vocationem congruam optime consistit et concordat, et utraque cum libertate optime conciliatur, quod non ita fieri posse cum alio prædefinitionis modo satis ostensum est.

FINIS LIBRI OCTAVI.

